Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26111
Copyright: Admont, Benediktinerstift

10

quę inuidia carentes et in malicia simplices pro domino moriuntur. Bimi .i. duorum
annorum mactati. quia in utroque testamento pro duobus preceptis dilectionis trucidantur.
Christus puer in egyptum ducitur. quod tenebre dicitur. quia de synagoga migrat. et gentes que
tenebre erant uisitat. Mortuo ipso rege in iudeam reuertitur. quia deleta infi-
delitate per predicationem helye et enoch ad iudeam per fidem redit. Hodie gloria
in excelsis deo et alleluia que est cantus leticie non canitur. quia ecclesia luctum matrum
infantum compatitur. quia illa gloriosa turba infancium ad tartara descendit. usque dum
eos sanguis christi post xxx annos inde redemit. Herodes post infantium occisionem
propter uxoris et filiorum interfectionem grauissimum dolorem incidit. et diuersos cruciatus
pertulit. Et cum a medicis curari non potuit. se propriis manibus occidit. Et ipse
quidem nunc sedet in eterno supplicio. isti autem nunc tripudiant in perenni gaudio.
Notate karissimi quod agonitheta noster christus adhuc paruulus. paruulorum turbam in prima
acie pugne statuit. iuuenis autem factus turmam martyrum in hostium cuneos
perduxit. quia uidelicet spirituale bellum inchoandum est contra uicia per humilitatem.
deinde contra perfidos gentium est per manifestam predicationem. Rex quippe angelorum
indixit bellum aduersus regem superbie filiorum. Et humilis et paruus ciuitatem
tyranni scilicet babyloniam huius mundi intrauit. mox exercitum paruulorum
congregauit. quia ueniens humiles elegit. atque per eos superbiam dispergit. postquam autem
ipse in pugnando regem superbie prostrauit. totam cohortem suorum militum in agmina
hostium destinauit. Quos uictores deuictis seu persecutionibus in celesti curia
coadunabit. triumphantes perenni gloria laureabit. Hos karissimi deposcite
tota deuotione. ut uobis et toti ecclesie fautores apud christum existant deuota ora-
tione quatenus post hanc erumnosam uitam cum illis possideatis eternam gloriam. Quam oculus non vidit.
Rarius debes sermonem sermonem facere ne uilescat. ut uerbum dei parti
auditoribus dictum dulcescat. pro tempore quoque debes sermonem aliquando breuiare.
et aliquando debes prolongare. De circumcisione sermo.
Descendi in hortum nucum. ut uiderem poma conuallium. Filius dei karissimi dicit
se in hortum nucum descendisse. et conuallium uidisse. Hortus est ecclesia. nuces
sanctorum diuersa agmina. In nuce tria considerantur. per que tres ordines in ecclesia designantur.
per exteriorem scilicet corticem coniugati. per testam fortitudinem prelati. per nuclearis dul-
cedinem contemplatione indulcorati denotantur. In hunc hortum ad tales nuces
dominus descendit. cum de celis in mundum humana forma uenit. Conualles sunt
humiles. poma bone actiones. Filius dei uenit uidere poma conuallium .i. remunerare.